II

LEGISLACIÓN DE CATALUÑA

GLOSARIO de las voces desusadas en el vocabulario jurídico moderno y con más frecuencia empleadas en la antigua legislación catalana (1).

A

ABATUT.—«Qui non solvit plane, et ut decet dicitur *abatut.*» MIERES, *Apparatus super Constitutionibus Curiarum generalium Cathaloniæ*, Curiæ Ilerdæ Jacob. II, cap. IV, num. 29.

ACCAPITUM, ACAPITA, ACCAPTUM quod vulgo *Relevium*, seu agnitio in dominum. DU CANGE, *Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis.*

ACCAPITUM (ad) DARE, seu in emphyteusin. Id.

ACUYDAMENTUM.—V. *Diffidamentum.*

ACUYDARE.—«Credo quod diffidare et acuydare sint idem.» G. DE VALLESICCA, in usatico. *Si quis malum*, num. 10. «Acuydare in Cathalonia idem est quod diffidare.» J. DE MONTEJUDAICO, in usat. *Auctoritate et rogatu*, num. 4.

ADEMPRAMENTUM.—«Adempramento, id est, cum fructibus et emolumentis ipsius castri.» MARQUILLES, in usat. *Omnes homines*, I.

ADEMPRIVUM, ADEMPTIO, ADEMPTUM, ADEMPRUM..... Sed videtur hæc vox non solius Provinciæ terminis circumscripta, cum in Occitania, atque adeo in Hispania, etiam *Adempra* nota fuerint, sumique ut plurimum pro quavis præstatione videantur..... Alia Petri Regis Arag. an. 1212. *Cum servitiis, usaticis, et aliis*

---

(1) Todas las definiciones contenidas en este Glosario se han tomado de las obras de los más célebres jurisconsultos antiguos de Cataluña, á excepción de unas pocas que se copiaron de la famosa obra de Du Cange, y en las cuales se citan casi siempre los mismos textos de la legislación catalana.

omnibus adempriviis, etc. Curia generalis Barcinonæ sub Petro III Rege Arag. an. 1283 cap. 45. *Adempriva lignorum, pascuorum et aquarum, castrorum..... fiant prout est antiquitus fieri consuetum.* Du Cange.

ADSCRIPTITIUS.—«Dicitur adscriptitius qui ascribitur terræ, confitendo se esse asscriptitium, et dicat ibi velle morari, et per consequens nolle inde recedere..... Quæro, an sit differentia inter servum et adscriptitium? Et dico quod in aliquibus conveniunt, et in aliquibus disconveniunt. Conveniunt, autem sicut servus est in potestate domini, ita ut adscriptitius. Item sicut dominus potest vendere servum cum peculio, ita adscriptitium cum terra. Disconveniunt autem, quia servus potest vendi cum peculio et sine peculio, adscriptitius enim nunquam venderetur sine terra.» Socarrats, *De consuetudinibus Cathalonie inter dominos et vassallos*, cap. *Licet de jure romano*, num, 6, 23 et 24.

AGUAYT.—«Aguayt, vocabulum est vulgare Cathaloniæ et *emboscada* gallicorum.» Calicius, in usat. *Aguayt e encalç*, numero 1.

ALBERGA, Albergum, Albergia, Albergium, Albergata, unum idemque sonaut, scilicet Jus *gisti* ac *procurationis*, seu divertendi in domum vassalli, et in ea hospitandi: vel præstatio, quæ pro ejusmodi procurationibus domino exsolvitur..... Alia Jacobi Regis Arag. an. 1260. *Et velitis facere nobis et nostris, et dare Albergam quolibet anno ad* IV *Milites, quando a nobis..... fueritis requisiti.* Du Cange.

ALISCARA.—«Et per aliscaram, id est ut faciens aguayt e encalç de milite e assalt de castell, circuat difformiter discalciatis pedibus decem comitias possessiones ipsius loci ubi fecit dictum aguayt vel encalç de milite vel assalt de castello, vel aliam aliscaram prout judex arbitratus fuerit..... Calicius in eodem usat., num. 4.

AXOVAR.—«Accidit finaliter quod non mulier ingreditur domum mariti, sed imò maritus domum uxoris, portando ei certam pecuniæ quantitatem, puta centum aut quingentum, quod nos communiter *Axovarium* appellamus.» Fontanella, *De pactis nuptialibus*, claus. VI, glos. III, par. VI, num. 64.

B

BANNUM.—«Est autem bannum, generale edictum publice propositum contrafacienti pænam imponers.» MIERES, *Jacob. II in Cur. Bar.*, cap. 35, num. 2.

BARONES.—«Appellatione baronum veniunt comites, vicecomites, comitores seu nobiles et valvassores.» SOCARRATS, cap. *Barones*, num. 1. «In Cathalonia barones appellantur domini vassallorum inferiores, quibus à Rege fuit concessum castrum et jurisdictio aliqua inter certos terminos sui regni.» FONTANELLA, claus. IV, glos. X, par. I, num. 6.

BARRÆ.—«Præterea dicuntur Tributa quævis, præsertim quæ ad urbium et oppidorum *Barras* et postas præstantur..... Curia generalis Cataloniæ in villa Montissoni an. 1363.» *Eidem Barras, pedagia, vel alia nova vectigalia concessimus.* DU CANGE.

BATAYA.—«Est autem bataya, prout hic sumitur duellum, quasi duorum bellum. Est enim singularis pugna duorum, que fit ad probationem alicujus rei. Ita ut qui per hunc modum se probaturum offert, si vicerit, probasse credatur: si non vicerit, defecisse in probatione putetur.» MIERES, *Jacob. II in Cur. Bar.*, cap. 25, num. 6.

BAUSIA.—«Item etiam sequitur bausia in aliis ingratitudinibus, sive infidelitatibus quæ sunt contra fidem homagii domino præstiti, quod continet clausulas, utile, tutum, etc..... Bausia dicitur à bausio, sive osculo: quia dominus et vassallus, dum præstatur fidelitas et homagium, ad invicem osculantur.» SOCARRATS, cap. *Si dominus petierit potestatem*, num. 79 et 80.

BELLUM.—«Quoddam est bellum quod fieri de jure potest à quolibet privato, ut pro defensione suæ personæ, et hoc incontinenti, et suæ rei, vel recuperacione ejusdem rei; seu suos amicos congregando et pugnando cum adversariis... Aliud est bellum licitum secundum hæc jura, quod fit in uno de tribus casibus scilicet per bansiam, ó treves trencades, scilicet conventionales, quoniam pro ipsarum violatione tantum habet locum duellum, ut cap. XXV in prima Curia domini Regis Jabobi II Barcinonæ cele-

brata, ó per trahicio... Aliud est bellum publicum.» GUILLELMUS DE VALLESICCA, in usat. *Bataya*, nums. 1 et 2.

BORDA.—«Borda verò secundùm antiquos sapientes dicitur pars mansi ab eo separata, et sic dimidia pars mansi: vel quod sufficit certa pars quamvis non dimidia.» SOCARRATS, cap. *Habitæ de homagio*, num. 40.

BORDERIUS.—«... Et inde borderius.» MARQUILLES, in usat. *De aliis namque rusticis*.

BOVATICUM.—«Et audivi ab honorabili Dalmatio de Sancto Dionysio, legum Doctore quondam Gerunde, qui fuit Regens Cancellariam domini Regis Martini fælicis recordationis: qui Dalmatius interrogatus, respondens dixit mihi quod jus istius bovatici erat, quod quotiescumque Rex moriebatur, novus Rex exigebat ab omnibus hominibus Cathaloniæ tertiam parten bonorum mobilium cuiuslibet hominis, quod jus erat valde grave. Istud dixit mihi secuda die Juilii anno à nativitate Domini 1435 & amplius nullum interrogavi.» MIERES, *Collat. IV, Jacob. II in Curia Ilerdæ*, cap. x, nums. 2 et 3.

BURGENSES.—«Burgenses, id est, morantes extra meniam, in burgis civitatis.» JACOBUS DE MONTEJUDAICO, in usat. Cives, num. 3. «Burgenses sunt qui habitant in burgo civitatis vel vicis eiusdem civitati subiectis, tenendo et gerendo vitam militarem et honorabilem, et debent gaudere burgenses eodem privilegio quo cives gaudent.» GUILLELMUS DE VALLESICCA, in eodem usat., num. 16.

BURGUS.—«Burgus dicitur ubi certum corpus hominum moratur.» ID., *íd.*, num. 6.

C

CALDERIA.—«Et quid sit judicium calderiæ? Dicas quod aqua que calefiebat in calderia.» MARQUILLES, in usat. *De bajuliis*. «Uxores rusticorum si de adulterio accusate fuerint se debent excusare sive per judicium caldarie: utputa ponendo ibi manum sive in aqua calefacta in calderia.» ID., in usat. *Mariti uxores*.

CAMERLENGUS.—«Dicitur autem Camerlengus quasi maior

in officiis cameræ Principis, seu quia in camera et secreto Principis eum alloquitur de secretis, quasi à *Camera* et *Lagos*..... Et de eius officio quære in libro Ordinationis domus Regis Petri Tertii.» MIERES, *Collat. VIII, Martinus in Cur. Barc.*, cap. VI, num. 2.

CAMINI.—«Sed quæritur qui possunt dici camini, dic quod itinera publica et privata ex quo vulgo iter fiat.» G. DE VALLESICCA, in usat. *Camini*, num. 3.

CAMPANARII.—«Dicuntur campanarii qui colunt campos et terras intra terminum castri, sed ibi non habent mansos, domos, aut fortalitia, nec sunt habitatores castri.» SOCARRATS, cap. *Si verò aliqui allodiarii*, num. 10.

CANCELLARIUS.—«Et dicitur Cancellarius qui præsidet Cancellariæ: et est Cancellaria locus consistorii prætorii et tribunalis, ubi consuevit per dominum Regem iustitia ministrari, qui locus per cancellos dividitur et separatur, ut sub silentio infra illos iustitia ministretur. Et talis Cancellarius consuevit esse aliquis prælatus, puta Archiepiscopus, vel Episcopus.» MIERES, *Collat. VIII, Mart. in Cur. Barc.*, cap. II, nums. 7 et 8.

CASTELLANUS.—«Castellanus est vassallus tenens castrum in feudum pro domino: quia omnis castellanus est vassallus: sed non omnis vassallus est castellanus.» SOCARRATS, cap. *Et si ibi non est aliqua turris*, num. 21.

CASTELLUM.—«Appellatione castellorum solum continentur castella habentia territoria.» CALICIUS, in usat. *Aguayt e encalç*, num. 11.

CASTRUM TERMINATUM.—«Qui sunt illi usus et conditio qui faciunt castrum terminatum? Dicitur quod est necessarium quod illud castrum sit in alto loco posito, ut in usatico *Casérum*. Et quod habeat terminos, ut in usatico *Hoc quod juris est Sanctorum*..... Et quod à maioribus fuit sic habitum, et tenebatur et nominabatur castrum terminatum.....» SOCARRATS, cap. *Si verò*, numero 28.

CATHALANI.—«Cathalanus dicitur ille qui est in Cathalonia natus. Item dicitur Cathalanus ille qui moratur et habet domicilium in Cathalonia.» MIERES, *Collat VI, Pet. III in Cur. Cervariæ*, cap. VI, nums. 5 et 6.

CAVALCATA.—«Cavalcata verò dicitur quando dominus Rex non indicta generaliter hoste per ipsum, vel quando alii domini inferiores à domino Rege ac Principe Cathaloniæ, utputa barones, vel milites, vel etiam officiales domini Regis non indicta generaliter hoste per ipsum dominum Regem, nec sub nomine hostis, sed aliàs per viam juvaminis eis fiendi in aliqua eorum guerra, vel in aliquali executione justitiæ petunt juvamen ab corum vassallis et subditis indicendo ipsis quòd volunt ire contra talem hostem, vel tale castrum per viam guerræ vel exequutionis justitiæ, vel facere cavalcatam et non hostem, ex quo dominus Rex particulariter, vel alius inferior eam indicit.» SOCARRATS, cap. *Si aliquis dominus*, num. 131.

CAVALLERIA.—«Cavalleria terræ in Cathalonia appellatur domus militaris cum sua laboratione et certa assignatione redituum forte x sextariorum bladi..... Cavallerie seu domus militares fuerunt in Cathalonia per Comitem Barchinone pro defensione rei publice principatus Cathalonie certo numero statute ut legitur in quibusdam scriptis antiquis et audivi ab antiquioribus.» MARQUILLES, in usat. *Omnes homines*, I.

CIVES.—«Cives, id est, morantes intra civitatem in menia Civitatis.» J. DE MONTEJUDAICO, in usat. *Cives*, num. 2.

CIVITAS.—«Et est Civitas locus ubi est Episcopus, et Civitas muris debet claudi.» G. DE VALLESICCA, in eod. usat., numero 2.

CŒNA pro quovis *pastu* seu jure refectionis aut plaudii vel procurationis. Hieron. Blanca in Aragon. rerum Comment. *Nonnulla oppida ricis hominibus, quas vocabant Cenas, ipsorum Regum persolvebant.* Charta Petri II Regis Aragon. an. 1283 pro libertatibus Cataloniæ: *Cœnas, albergas, et acapita non accipiamus nec exigamus in locis Baronum, Militum*, etc. DU CANGE.

COMITOR.—«Comitor vocabatur in Cathalonia ille qui habebot dignitatem mediam inter vicecomitem & vasvassores ut sunt hodie nobiles in Cathalonia investiti de nobilitate per principem Cathaloniæ et isti proprie jure feudorum dicuntur capitanei sive vasvassores magni.» CALICIUS, in usat. *Ut qui interfecerit*, numero I.

CONSULES.—Consules in civitatibus, qui in aliis vulgo *Scabini* vocantur, quorum dignitas antigua..... Statuta MSS. Monspeliensia art. 125 de forma juramenti Consulum: *Statutum est ut* xij *probi et legales viri Montisp. jam electi ad Communitatem Montispessulani jurare debeant, quod bona fide consulant eum quem dominus loco suo statuerit in hac terra, et ille requerire teneatur consilium dictorum* xij *et eorum stare consiliis*, etc. Du Cange.

CONSTITUTIO.—«Generalis constitutio Cathaloniæ habet fieri de approbatione et consensu Prælatorum, Baronum, militum et civium Cathaloniæ; vel ipsis vocatis maioris et sanioris partis eorundem.» Mieres, *Pet. II. in Cur. Bar.*, cap. 16.

CUGUCIA.—«Casus. Mulier qui adulterium committit viro nolente aut ignorante, propter quod vir in vulgo dicitur *cugus*: omnia bona mulieris et adulteri maritus et eius dominus habent equis partibus. Et si viro volente mulier adulterium committit: tunc dominus ipsa bona integriter habet.» Marquilles, in usat. *Similiter de rebus.*

CURIA.—«Sumitur autem multis modis *curia*, uno modo pro generali terræ coadunantia, alio modo pro domo Principis, vel magnatis; alio modo pro loco judicii; alio modo pro collegio; aliquando pro carcere reorum; aliquando pro congregatione mulierum.....» Mieres, collat. ii. *Pet. II in Cur. Barc.*, cap. xxvi, num. 6. «Cum dicit *in curia* per antonomasiam intelligitur de curia Regia.» Id., collat. iv, *Jacob. II in Cur. Bar.*, cap. xxv. num. 3.

CURIA GENERALIS ET PARLAMENTUM.—«Subditi, Prælati, Barones, homines civitatum seu villarum Cathaloniæ necessario tenentur venire vocati ad curias generales, non ad parlamenta, nisi voluntarie. Et curia generalis tenetur propter ordinationem bonam totius Reipublicæ et quod dominus Rex tornat gravamina ad debitum statum. Parlamentum fit per Principem propter aliquam necesitatem vel utilitatem domini Regis, vel Reipublicæ; et convocat sub certis causis non expressis quod vult habere parlamentum cum Prælatis Baronibus et hominibus civitatum et villarum Cathaloniæ, et rogat eos et monet et requirit quod ad dictum parlamentum veniant in tali civitate seu villa et

ei dent consilium, auxilium et juvamen; et quod mittant suos procuratores potestatem habentes ad dictum parlamentum; et inter curiam generalem et parlamentum est differentia, quia curia celebratur de negociis generaliter, sed parlamentum de factis certis singularibus Principi occurrentibus.» MIERES, collat. x. *Maria Regina, in Cur. Barc., num. 8* passim.

D

DIFFIDAMENTUM, vel *acuydamentum*, seu *reptamentum*. «Tria sunt genera diffidamentorum, primum *desafiament de penyores*, et sic cum aliquis fecit fideiussionem pro aliquo et creditor non valens recuperare licitum est creditori diffidare seu acuydare fideiussorem cum distinguendo et pignorando, in pace et treuga; secundus modus diffidandi in Cathalonia est nulla causa justa præcedente, sed ex sola voluntate, et lege Cathaloniæ militari volendo milites uti arte sua et esse in exercicio armòrum, et iste modus vocatur *desafiaments per alt*. Tertius modus diffidamentorum est cum causa præcedit ut hic in presenti usatico, et fit tantum diffidamentum seu acuydamentum adversus personas et bona diffidatorum et valitorum ipsorum per diffidantem et eius valitores et iste est comitis modus.» G. DE VALLESICCA, in usat. *Cunctum malum*, num. 12.

DOMICELLA.—«Nomen est status, ut quia est de genere militari, sed non ita stricte sumitur hic, quandoque generaliter pro puella virgine quæ virum non habuit, et pro eodem supponit verbum *fadrina*, licet stricte sumatur pro ea quæ est pubes et adolescens; tamen hic large sumitur secundum modum vulgare loquendi, pro ea puella, etiam infante, tamen doli capace, quæ est minor viginti quatuor annorum, et dicitur domicella, quasi nondum domina; et est nomen diminutivum de hoc nomine domina.» MIERES, collat. IX, *Ferd. Rex in Cur. Bar.*, cap. XII, num. 37 passim.

DOMICELLUS.—«Aliquorum est sententia hos filios militum et ab eis descendentes, qui non armantur, domicellos apellari in

ea significacione qua in Hispania mulieres, quæ matrimonium adhuc non contraxerunt, *donzellas* solent appellari..... contentantur enim sola militia et nobilitate parentum ac prædecessorum et in ea gloriantur; domicelli dicentur, quia matrimonium illud politicum cum armis non contraxerunt, quod contrahere dicuntur qui novè milites armantur.» FONTANELLA, claus. III, glos. II, num. 6.

DUELLUM.—«Duellum dicitur monomachia quasi unica et singularis pugna, a *monos* græcè, quod est *unum* latinè et *machia*, quod est pugna. Et nota quod istud duellum est duplex: quia aliud judiciale, aliud extrajudiciale. De judiciali loquitur usaticus *Bataya judicata*. De extrajudiciali habes in prima curia Barchinonæ regis Jacobi secundi, capitulo XXVII. *Item quod aliquis miles, vel homo de paratico.*» SOCARRATS, cap. *Item vassallus*, numero I.

E

EMPARA.—«Sciendum est quod in Cathalonia et secundum usaticos duplex est empara; quia quandoque est realis, quandoque verbalis. Realis est illa per quam possessori omnino tollitur possesio, et domino applicatur. Verbalis est quando possessori possessio vel rei introitus vel exitus personalis non interdicitur, sed inhibetur ei ne inde aliquid extrahat.» J. DE MONTEJUDAICO, in usat. *Magnates*, num. I.

EXERCITUS.—«Exercitus est collectio totius populi Civitatis vel totius principatus Cathaloniæ quando universaliter per dominum Regem ut comitem Barchinone petuntur seu inducuntur hostes dicti principatus, ut in usatico *Princeps namque.*» G. DE VALLESICCA in ussat. *Qui fallierit hostes*, num. 2.

EXORCHIA.—«Ego verò semper crederem quod tantum uxorati dicantur exorchi, si decedunt sine liberis.» SOCARRATS, cap. *Item si aliquis qui nunquam*, num. 68.

F

FATICA JUSTITIÆ.—«Fatica justitiæ dicitur quando quis requisitus non curat facere justitiam de subdito, quam facere tenetur.» MIERES, *Pet. II in Cur. Bar.*, cap. XLIII, num. 16.

FEUDUM.—«Feudum propie dicitur concessio rei facta cum traditione utilis dominii ad utendum et fruendum cum exhibitione alicuius honesti servicii.» MARQUILLES, in usat. *Si quis suum feudum.* «Feudum in Cathalonia denotat servitium et jus petendi et recipiendi potestatem in feudo, nisi convenientia feudi aliud habeat.» SOCARRATS, cap. *Castellanus*, num. 8.

FIRMARE DIRECTUM.—«Id est assecurare quod facient jus. Vel dic obligationem seu securitatem in posse domini cum quantitate auri sequenti exponere sive facere de parendo jure sive de juditio sistendo et judicato solvendo cum suis clausulis universis ipsis dominis agere volentibus contra eos.» MARQUILLES, in usat. *Omnes homines*, I.

FOAGIUM, FOCAGIUM.—Census qui exigitur à domino feudali pro singulis *focis* seu domibus subditorum ac tenentium suorum. DU CANGE.

FOLLIA.—«De jure Usaticorum injuria verbalis cum criminatione, id est, diffamatione criminali dicta alicui dicitur folia.» MARQUILLES, in usat. *Et si quis ad aliquem.*

FORISCAPIUM.—«Laudimium est nomen generale, et comprehendit quandoque etiam foriscapium..... Sed laudimium strictè et propriè de jure Cathaloniæ est decima pars pretii seu æstimationis rei feudalis alienatæ..... sed de jure communi est quincuagesima pars: foriscapium verò est tertia pars ipsius pretii seu æstimationis.» MIERES, *Pet. III in Cur. Cerv.*, cap. III, num. 22, 23 et 24.

G

GABELLA.—«Largo modo dicitur etiam gabella omnis impositio tributi vectigatis, vel alterius exactionis, quæ fit pro rebus vehendis, extrahendis, aut aliàs distrahendis.» MIERES, *Pet. III in Cur. Bar.*, cap. X, num. 17.

GUERRA.—«Item bandus et guerra idem sunt: sed propriè guerra dicitur licita, quæ est inter milites: sed bandositas tam est inter milites, quam inter plebeios et pedites.» MIERES, *Jacob. II in Cur. Bar.*, cap. XXVIII, num. 2.

GUIDATICUM.—«Nec debet concedere guidaticum, sive

salvam guardiam specialem aliquibus singularibus.» ID., *id. in secunda Cur. Bar.*, cap. IV, num. 24.

H

HOMAGIUM.—«Homagium est subjectio quædam, quam homo homini in corpore facere tenetur.» SOCARRATS, cap. *Homo solidus*, num. 15.

HOMAGIUM SOLIDUM.—«Solidum est quod gerit fidelitatem contra omnes, et nullus excipitur præter illum qui generalem habet jurisdictionem.» ID., cap. *Duplex*, num. 1.

HOMAGIUM NON SOLIDUM.—«Dicitur cuando in illius præstatione aliquis alius qui non habet generalem jurisdictionem excipitur, utputa dominus suus solidus.» ID., *íd.*, num. 5.

HOMO LEGIUS.—«Nota secundo idem esse hominem solidum et legium.» ID., *íd.*, num. 2. «Et iste talis homo [solidus] dicitur proprie legius de consuetudine in pluribus partibus.» CALICIUS, in usat. *Qui solidus*.

HONOR.—«Honore, id est, re data in emphyteusim: quia honor est æquivocum: et hîc accipitur pro re immobili: et est vulgare Cathaloniæ.» SOCARRATS, in cap. *Eodem modo*, num. 3.

HOSTIS.—«Aliter sumitur vox prædicta, hostis, in genere scilicet fæminino, et tunc dicitur adjutorium quod faciunt vel facere debent vassalli et subditi Cathaloniæ eorum dominis cum Rege in hoste pergentibus, seu euntibus, ipso domino Rege hostem generalem indicente.» FONTANELLA, clau. IV, *glos.* XVI, numero 3.

I

IMPERIUM.—«Tertio tandem et ultimò sumitur imperium pro dignitate et auctoritate magistratus et potestate quam habet ratione illius..... In hac significatione sumitur in textu nostro et in materia jurisdiccionali.» FONTANELLA, *claus.* IV, *glos.* XIV, numero 30.

L

LAUDIMIUM.—V. *Foriscapium.*

LEUDA, LESDA, LEDA, etc. [Gall. *Laude*, *Louade*, Leude] appellatur quævis præstatio, vel quodvis tributum, maxime quod pro mercibus penditur..... Curia generalis Cataloniæ celebrata in villa Montissoni an. 1289 sub Alphonso Rege Aragon. *Et quod aliqua barca, vel aliquod aliud vexellum quod vadat per aquam, non compellatur nec teneatur applicare, nisi in illis locis in quibus debeat leuda persolvi.* DU CANGE.

M

MAGNATES.—«Quero appellatione magnatum quæ personæ de jure Usaticorum contineantur, et breviter dico quod proprie appellacione magnatum majorum continentur vicecomites: et appellacione magnatum minorum comitores vasvassores.» CALICIUS, in usat. *Hæc sunt usualia*, núm. 7. «Sed appellacione magnatum largo modo et improprie sumpta continentur comites et alii nobiles Cathaloniæ.» ID., in usat. *Magnates*, num. 2.

MANSUS.—«Mansus est prædium in quo manent homines, vel mansus est quantitas terræ quæ sufficit duobus bovibus in anno ad laborandum... Sed aludendo vocabulo mansus dicitur a manendo quia est habitaculum saltem rurale ubi consueverunt rustici habitare gratia comodioris culturæ.» MARQUILLES, in usat. *Sacramenta rustici.*

MARITAGIUM.—«Sed an Rex posset hodie facere demandas, vel quæstias, vidimus quod pro eius coronatione, vel nova militia, quam etiam *pro filia legitima et naturali maritanda* Rex fecit demandas et habuit.» MIERES, *Martinus in Cur. Bar.*, cap. XI, núm. 2.

MENSURATICUM.—Quod pro mensura exigitur. Libertates Regni Majoricarum edita à Jacobo Rege Aragon. an. 1248. *Sitis franci et liberi ab omni lesda, pedatico, mensuratico, et penso et ribatico, et ab omni questa, tolta, forcia*, etc. DU CANGE.

MONETATICUM.—Tributum in Aragonia et Catalonia im-

positum à Petro Rege Arag. quod ejusmodi erat, ut omnes duodecim denarios pro singulis rerum mobilium libris exsolvere tenerentur: à qua tamen pensitatione immunes erant milites, ut scribit Surita lib. 2, cap. 52, cui *Monedatge* dicitur: ut et Eclesiastici et Religiosi. Petrus II Rex Aragon. in Charta pro libertatibus Cataloniæ. *Item quod nos nec successores nostri non recipiamus Monetaticum, nec Quintam ab hominibus Ecclesiarum, Religiosorum, Baronum*, etc. Du Cange.

N

NOBILIS.—«Nobilis est qui honorifice vivit et non negociatus...» Guillelmus de Vallesica, in usatico *Bajulus interfectus*, num. 3. «In alio tamen video istos nobiles deterioris esse conditionis quàm simpliciter milites: non enim admittuntur ad regimen civitatis, neque ad illius officia honorabilia, maximè in hac civitate Barcinonæ, ubi id solet esse in æstimatione, cum tamen ad hæc omnia admittantur simpliciter milites.» Fontanella, claus. III, glos. III, núm. 85. «Nobilitas est quæ *paragium* appellatur. Alia est nobilitas quæ acquiritur per nobilitationem et militiam.» Marquilles in usat. *Bajulus*.

P

PACIARIUS.—Ædilis, Scabinus, qui pacem inter cives tuetur..... Charta Jacobi I. Regis Aragon. *Mandamus itaque Vicariis, Bajulis, Paciariis, Justitiis, Judicibus*, etc. Curia. Generalis Barcinonensis, ann. 1283, sub Petro II. Rege Arag. cap. XXVIII. *Concedimus etiam..... quod Paciarii et Jurati et Consules sint in civitatibus, villis, et aliis locis nostris in quibus esse antiquitus consueverunt.* Curia generalis Cataloniæ acta in villa Montisalbi sub Alphonso Rege Arag., an. 1333. *Ordinamus quod Consiliarii, Paciarii, vel Jurati uniuscujusque capitis Vicariæ*, etc. Du Cange.

PAGENSIS.—«Pagensis dicitur à pago, quia in pagis ruralibus communiter habitant. Unde versus. Rusticus, à rure, quoniam rus est sibi curæ: villicus à villa, quia res disponit in illa.

Dicitur ab agro agrestis, littera sit tibi testis.» SOCARRATS, cap. *Item si aliquis qui nunquam*, num. 5.

PAGUS.—«Unde pagus dicitur parva villa, ubi solùm morantur rustici et pagenses, ac agricultores.» IDEM, *id.*, num. 6.—«*Et de ipso pago*, id est, de ipso territorio.» GLOSA, in usat. *Præcipimus*.

PARES CURIÆ.—«Illi dicuntur pares, videlicet qui tenent feuda ab eodem domino. Sed hodie est expeditum in dicta constitutione, cap. *Item quod in omnibus causis*, ubi habetur quod illi dicuntur pares, qui habent consimilia feuda.» SOCARRATS, cap. *Si aliquis habet hominem*, num. 31.

PAX FRACTA.—«Quæ sint injuriæ et quibus pax et treuga dicitur frangi? Respondeo quod injuriæ illatæ in corpore vel in rebus.» MIERES, *Pet. II in Cur. Bar.*, cap. 46, num. 17.

PEDAGIUM, PEDATICUM, PEDIALE, etc. Tributum quod penditur, exsolvitur, ex Gallico *Peage:* nostris enim *Paier* est solvere, præstare. Auctor Breviloqui: *Pedagia dicuntur quæ dantur à transeuntibus in locum constitutum à Principe.*—PEDAGIUM, pro qualibet præstatione.—TENERE IN PEDAGIO, Idem quod sub annuo censu.—PEDAGIUM, territorium, districtus intra quem *pedagium* exigitur.—PEDAGIARIÆ VIÆ, Publicæ, in quibus *pedagium* exigitur. PEDAGII DOMUS, In qua *pedagia* exsolvuntur, vel inferuntur. DU CANGE.

PEDE (Homines de).—«Sed quæro qui dicantur hîc homines de pede? Et videntur quod omnes qui non habent privilegium militare, et qui in jure civili dicuntur pagani.» MIERES, *Jacob II in 2.ª Cur. Bar.*, cap. XIX, num. 8.

PENSA.—Tributum quod pro pensis seu ponderibus pensitatur, passim in Curiis generalibus Cataloniæ. DU CANGE.

PLACITUM. — «Placitum, id est judicium causarum.» G. DE VALLESICCA in hoc usat. num. 1.

PLIVIUM.—«Plivium, id est, fideiussionem in treuga, auctoritate judiciis precedente ad hoc.» IDEM in usat. *Si ille qui plivium*, num. 1.

PORTARII, Executores, scilicet Regiæ Jurisdictionis, quorum numerus est 12 in Regno Aragon..... Tertia Curia generalis Cata-

loniæ sub Jacobo II, Rege Arag., ann. 1311. *Non ponemus nec mittemus pennones vel porterios, nec alium hominem ratione guidatici in castris Richorum hominum.* Curia generalis Cataloniæ celebrata in villa Montisalbi ab Alphonso, Rege Arag., ann. 1333. *Ut executionibus fiendis modus non excedatur, statuimus quod nullus Porterius noster..... nec aliquis alius faciat, aut facere possit executionem.* Du Cange.

POTESTAS.—«Potestatis, id est, Comitis Barchinonæ, pro nunc Regis Aragonum, ex quo in singulari numero fit hîc mentio de potestate, intelligatur per excellentiam de comite Barchinone.» Calicius, in usat. *Judei*, num. 1.—«Si autem reperiatur in usaticis verbum *potestas* in plurali, tunc de allis comitibus etiam intelligitur.» Socarrats, cap. *Si dominus*, num. 13.

POTESTAS CASTRI.—«Si vero in usaticis vel commemorationibus, aut consuetudinibus reperiatur verbum potestatis fæminini generis, tunc accipitur pro potestate castri ut in usatico *Potestatem*, et in usatico *Magnates*, et in usatico *Si quis contradixerit*..... Ista potestas castri nihil aliud est quàm exercitium liberum domino dare de suo castro: quia dominium directum jam est penes dominum, sed utile penes vassallum.» Id., *id.*, *id.*

PRODITOR VEL BAUSATOR.—«Bausator est contradicens dare potestatem feudi domino. Item si non juvant dominum vassalli sunt bausatores. Item vir, tutor et domina qui pro feudo recusant dare potestatem. Item bausator dicitur qui lingua vel manu dominum vel eius filium occiderit, aut uxorem adulteraverit. Item bausatores et proditores non sunt in pace et treuga.» Mieres, *Pet. II in Cur. Bar.*, cap. xxiv, num. 7 et pass.

PURGATIO AQUE CALIDE SIVE FRIGIDE.—«Et qualiter fiebat purgatio huius judicii? Dicas quod hoc modo scilicet quod in uno vase ponitur aqua in tanta altitudine quanta est longitudo hominis purgandi et duo homines ponent ipsum intus et quia propter grossitudinem purgandi aqua crescit; quando ipse habet aquam apud os, dimittunt eum et si se sustinet quod non sufficiat ori purgatur. Sed omnino abrogatus est usaticus iste.» Marquilles, in usat. *Vere judex.*

Q

QUADRA.—«Est domus quæ in aliqua parte termini castri habet jurisdictionem separatam à jurisdictione ipsius castri.» SOCARRATS, cap. *Si minor*, num. 28.

QUÆSTA, QUESTA, QUESTIO, QUESTUS.—Tributum quod exigitur, *quæritur*, petitur.—QUESTIA. Curia Generalis Barcinonæ, anno 1233. MS. *Item quod terram tenentes infra terminum alicujus castri contribuant in Questiis quas fecerit dominus castri pro rata possessionum quas ibi tenent.* DU CANGE.

QUINTUM.—«De quinto quod in Cathalonia dominus Rex ex impositionibus recipere consuevit, nihil dictum fuit..... Etenim dictum quintum de consuetudine solvitur in Cathalonia loco illarum duarum partium ex tribus quas Princeps ex imposicionibus per eum concessis, de jure communi habet.» CANCER, par. III, cap. III, num. 441 et passim.

R

REPTAMENTUM.—V. *Diffidamentum.*

RIPATICUM.—Tributum quod accipitur in ripis. DU CANGE.

RUSTICUS.—«Rusticus dicitur à rure, quia colit rura et moratur extra muros civitatum et locorum.» CALICIUS in usat. *Rusticus interfectus*, num. 1.

S

SONUS EMISSUS vulgò *so metent.*—«Pro executione dicti soni emissi intrant officiales regii ecclesias, monasteria et alia quæcunque templa et loca sacra absque metu incursus excommunicationis, et ex eis extrahunt malefactores quoscunque, et secus ad suos carceres ducunt..... et etiam ingrediuntur loca, terminos et castra baronum, et illinc etiam malefactores extrahunt..... Quamvis hodierna praxis contrarium observet, quoniam denuntiatio istius qui somun vicario intimavit redigitur in scriptis, et super dicta denuntiatione recipitur informatio de delicto, de delinquentibus et loco quo se receptarunt, vel per nuntium qui ad locum delicti mittitur, vel per alios, qui illud scire repe-

riuntur: qua *informatione recepta*, *vicarius* in domo consilii civitatis, aut villa, aut alio assueto, convocat consules dictæ civitatis, seu ville et probos homines ad id adhiberi solitos, ut ipsi omnes inter se videant et judicent an sit locus declarationi soni: et ubi sit locus, illa declaratio redigitur in scriptis et vicarius continuat statim dictum sonum, clamando voce alta in platea, aut ad hospitium domus civitatis, aut ville: *Via fos à sometent*, et facit pulsari campanam et ponit vexillum in loco publico et convocat homines destinatos ad dictum effectum per publicum præconium ut sequantur cum suis armis vexillum, et cum dicto exercitu ipse se confertt ad locum ubi dicuntur esse malefactores ad capiendum nempe eos. Quia hic processus solùm fit ut capi possint malefactores.» CANCER, par. III, cap. V, num. 5, 6, 9, et 10.

SONUS SACRAMENTALIS.—«Est autem sacramentalis sonus qui emittitur in vim societatis et confæderationis initæ et juratæ inter vicinos, pro expellendis malefactoribus à suo vicinatu.» ID., *id.*, *id.*, num. 130.

STACAMENTUM.—«Id est jurisdictionem simplicem sive cohertionem simplicem.» MARQUILLES in usat. *In bajulia*. «Placet mihi quod sit jurisdictio simplex secundum dictum G. de Vallesicca.» SOCARRATS, cap. *Item si certæ*, num. 4.

T

TOLTA.—«Exactio quæ per vim fit, quod contra jus tollitur quodvis tributum etc. DU CANGE.

TREUGA.—«Treuga est securitas personis et rebus ad tempus prestita, discordia nondum finita..... Quero ulterius quot sunt species treuge, dico quod duæ: conventionalis scilicet et canonica. Conventionalis dicitur quæ ex conventione recipit formam sicut quilibet contractus..... canonica est illa treuga de qua loquitur *extravag. de treug. et pac.* et talis vocatur treuga Domini.» G. DE VALLESICCA in usat. *Treuga data*, num. 1.

U

UNIVERSITAS.—Nude pro incolarum urbis vel oppidi universitas, idem quod *Commune*. DU CANGE.

USATICUM.—Tributum prætatio [quæ ex usu et consuetudine pensitatur, vel ut quis jus usagii obtineat.] DU CANGE.

USATICUS.—«Dicuntur usatici ideo quia usibus curiæ partim fuerunt constituti.» CALICIUS in usat. *Cum dominus*, num. 7.

V

VALVASSORES.—«Quis autem dicatur valvassor..... Valvassores vocantur qui à baronibus, vel capitaneis, quod idem est, feudum habent, et aliquos milites sub se.» SOCORRATS, cap. *Barones*, num. 15.

VASSALLUS.—«Ille dicitur vasallus qui fecit homagium et fidelitatem domino pro feudo. Nam hic dicitur—Postquam aliquis vassallus fecerit homagium—ergo si non fecerit, non dicitur vassallus.» ID., cap. *Postquam aliquis vassallus*, num. 2.

VECTIGAL.—«Vectigal est nomen generale, et accipitur pro omni eo quod fisco pro aliqua re præstatur.» ID., cap. *Si aliquis dominus*, num. 101.

VIA FORS.—V. *Sonus emissus* (1).

JOSÉ COROLEU,
Correspondiente.

III

TEXTO CORRECTO DEL CONCILIO DE HUSILLOS

¿11 Marzo? 1088. Actas del concilio de Husillos, publicadas por Dom Mario Férotin (2) conforme al pergamino original, contemporáneo de fines del siglo XI, existente en el archivo de la catedral de Burgos, cajón VI, vol. 48, doc. 1. Van anotadas las erratas principales que deslucen el texto en la obra clásica de D. Vicente de La Fuente (3).

Anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo VIII°, era TCXXVI^a^, regnante gloriosisimo Adefonso imperatore in Tole-

---

(1) Este *Glosario* es complemento del informe del Autor, publicado en el tomo IV del BOLETÍN, págs. 85-104.—*(N. de la R.)*.

(2) *Recueil des chartes de l'abbaye de Silos*, págs. 51-53. París, 1897.

(3) *Historia eclesiástica de España*, tomo IV (2.ª edición), págs. 554 y 555. Madrid, 1873.